



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorum

VD16 B 5530

Tertia Conclusio. Sacrificio Corporis Christi, quod Ecclesia Catholica ab initio vsque in præsens tempus, Missam vocauit, huiusmodi vexationes quandoq[ue] pelluntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

Prima Conclusio. *Qua remedia valent ad expulsionem Demonis à corporibus obsessis, ea etiam profunt ad expellendum à loco, Quia est par ratio.*

Secunda Conclusio. *Oratio, ieiunium, Eleemosyna, & alia pœnitentiæ opera valent ad expellendas huiusmodi molestationes.*

CONSTAT Matth. 17. & Marc. 9. Hoc genus non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium. & cap. Si per fortiaras. 33. q. 1.

Tertia Conclusio. *Sacrificio Corporis Christi, quod Ecclesia Catholica ab initio vsque in presens tempus, Missam vocauit, huiusmodi vexationes quando q̄ pel-
luntur.*

EST S. Augustini lib. 22. de Ciuit. Dei. ca. 8. Vir tribunitius Hesperius, qui apud nos est, inquit, habet in territorio Fussalensi fundum Cupedi appellatum, vbi cum afflictione animalium & seruorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros, me absente prefbyteros, vt aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium Christi; oras quantum potuit, vt cessa-

ut cessaret illa vexatio, Deoq; protinus miserante, cessauit. Idem conuincit ratio. Non est enim conuentio lucis ad tenebras, secundum Pauli sententiam. At in sacrificio missæ introducit lux vera: pellit ergo principem tenebrarum. Cùm enim fortior ille superueniens LUC. 10. vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat. Ad idem confirmandum facit consuetudo Ecclesiæ, cuius meminit S. Chrysoft. hom. 3. de incompræhensibili Dei natura contra Anomæos, quod agitati Dæmonij tempore Missæ adducantur, & hom. 4. ibidem eiusdem consuetudinis meminit. Quare eadem consuetudo adhuc hodie magna cum laude & fructu seruetur apud S. Hubertum in Ardenna, qui locus omnibus Dæmonibus terribilis est, cùm plurimi ibidem expellantur. Tempore sacri, Energumeni ad Ecclesiam deferuntur, & ibidem relinquuntur, donec sacrificium absoluetur.

Quarta Conclusio. Reliquiæ sanctæ posite in loco, aliquando etiam pellunt tales vexationes & perturbationes.

AVGVSTINVS loc. citat. Quare subiungit, dicendo. Acceperat autem ab amico suo terram sanctam de Hierosolymis allatam, vbi sepultus est CHRISTVS, die tertio resurrexit, eamque suspenderat in cubiculo suo,